

Werk

Titel: Gemmarum Et Lapidum Historia

Autor: Boot, Anselmus Boetius

Verlag: Maire

Ort: Lugduni Batavorum

Jahr: 1636

Kollektion: Antiquitates_und_Archaeologia; Antiquitates_und_Archaeologia_ARC18

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN643798072

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN643798072>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=643798072>

LOG Id: LOG_0004

LOG Titel: In Historiam Gemmarum & Lapidum. ... Scazon.

LOG Typ: other_docstrct

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

IN HISTORIAM
Gemmarum & Lapidum
ANSELMI BOETII,
*Editiam nova cura clarissimi doctissimi
simique viri*
ADRIANI TOLL, Medicinæ Doctoris,
SCAZON.

TECTE TOLLI, cuius indoles gestit
Debere seclo, & otio fatiscentes
Incusat horas semifeminatorum,
Per eruditas ambulare doctorum
Sueta curas, extricare perplexa,
Purgare verum sordibus vetustatis;
Γαλλικωτερωτάπον decus grande,
Recentiorum lima terfa scriptorum:
Vt nunc Eōos Indicosque splendores
Inter refulges, & tuos Smaragdorum
Radijs honores Sardioque diffundis,
Ditemque Hydaspen gemmeumque derivas
In nostra Gangen regna. Non tibi spuma
Et inquinata fercla ventris affecti
Molesta nunc sunt, pituita vel putris,
Aut ore manans turpe fætido tabum,
Aut pravè olentis vultus ater urinæ.
Quin transmarinis elegantijs totus
Nites decorè, & fulgetris lapillorum

Gem-

Gemmisque luges undique, & coruscantem
Beryllon ardes, succinumque lychinque;
Onychesque nigras ipse quas iacit flamas
Pyropus, in te torquet, & virescentes
Notas Iaspis lætior tibi pandit.
Carbunculusque, & pulcher ora Sapphirus,
Non usitatis ignibus magis, flagrant.
Preciosa scribis, ut Cylindrus, ut Baccae
Vndis latenter obstrepant Erythræis,
Adamasque duras nil moretur includes:
Quam multiformis lividas averruncet
Pestes Achates, languidamque Torcōis
Venerem laceffat; vulsaque è mari magno
Coralla largas fluminum vias sistant.
Et tu feracis munus inclytum Cypri
Cerulea Cyanos, seu Pharam magis laudas
Scythicasque rupes, Caucasique prærupta,
Per te fugari disce torva nocturni
Portenta Morphei, & Incubum gravem lectis.
Cum ventre matris abditum latet pondus,
Pullus medetur & sonorus Ætites.
Aquaisque Magnes allicit putrescentes.
Electra mentem, margarita languentes
Vires redonat; qui que friget, insomni
Hyacinthus ægro somnolentiam suadet.

Quis splendor artis, quam superba maiestas
Medici theatri est, Æsculapidum Patres.
Quis apparatus Cælites parant tantos,
Famulantur astra; format unda, quod sanet;
Ær medelam sufficit, vomunt fontes,
Montes ministrant. quis salubre quodcumque est,

Arbu-

*Arbusta stillant, saxa robur indulgent;
Gemmas, lapillos, ferra, vitra, tot petras,
Hic Porphyriten, hic dat Alabastriten,
Illic Pyriten, hic bitumen & gypsum,
Aurum, cerussam, nitra, sulphur, argentum,
Opesque cunctas Mater alma largitur.*

Centum iuvatur, laeditur modis centum

Humana Vita. totus orbis obiectat

*Et damna & usus. commodusque viventi
Incommodusque est: causa mortis, atque idem
Salutis autor, qualis hasta Pelidae.*

Ante ora morbi fomes & comes iuxta

*Medicina presto est. quicquid obvium tangis,
Sanum flagellat, allevat laborantem.*

Corpus vacillat saepius remorbesens,

Cadaverosis debitum sepulcretis.

Rursum resurgit, & valemus athletæ,

Vicesque servant Sanitasque Morbusque.

Et nunc amica; nunc iniqua Natura.

*Quæ cuncta dum nos impiger doces TOLLI,
Æternitatis præmio supervive.
Quod si nepotes nomen oscitabundi
Tuum silenti nubibus tenebrabunt,
Lapides loquentur. & Boëtij famam,
Tuasque laudes Gemmulæ recognoscent.*

CASPAR BARLÆUS.

Ad

Ad Lectorem.

1

NTER omnes, benevole Lector, qui de lapidibus, ac gemmis scripserunt, ac ad manus meas pervenerunt, nulli hactenus peculiari aliqua methodo usi sunt. Nam alii secundum alphabeti ordinem, ut Plinius, Albertus Magnus, & Ludovicus Dulcis, alii promiscue ut Franciscus Rueus, ac Andreas Baccius de iis tractarunt. Solus quod sciam Gesnerus in classes, vel à similitudine, vel nominibus rerum sumptas, gemmas, & lapides discrevit. Quia vero Gesneri methodus propter varias causas, quas hic recensere longum esset, mihi non placebat; à rarioribus, & carioribus tractationem incipere, mihi gemmis ipsis dignius esse, magisque convenire videbatur. Itaque à Diaphanis, ut ab Adamante omnium gemmarum pretiosissima, diaphana, nulloque colore prædita, exordium sumpsi: Deinde ab ea ad diaphanas colore præditas, & viliores gradatim progressus sum. Ita tamen, ut quæ eiusdem generis videbantur, licet dignitate multum inter se different, iisdem capitibus subiungerentur. Ut videre est post caput de Carbunculo, cui cæteræ gemmæ omnes rubræ, & diaphanæ licet viles subsequuntur, ut Granatus, Amethystus, Hyacinthus &c. Post rubinorum, & rubrorum lapidum Historiam, sequitur Margarita dignitate tertia ab Adamante: licet proprie inter lapides recenseri non deberet, quod potius mixtum osseum, quam petrosum sit. Sed sequutus sum hac in re vulgi sententiam, quod Margaritas inter gemmas numerat, ac plerunque Adamantibus, & rubinis aliis gemmis exclusis, dum peculiare, & regium aliquod

A

opus

2 PRÆFATIO AD LECTOREM.

opus ex gemmis concinnat, adiungit. Post Margaritas, sequuntur Cæruleæ gemmæ ut saphirus, & Opalus, qui aliquid cærulei habet. Has gemmas subsequuntur virides, flavæ, & semi diaphanæ: tandem opacæ, ac pretiosiores primo, ut Turcois, & Cyaneus. Deinde quæ fere ab animalibus desumuntur. Ita ut ab his paulatim ad ignobiliores lapides, & saxa perveniatur. Qui tamen ordo, ut verum fatear, mihi ipsi conscripto iam opere, non fatisfecit. Existimabam enim illustrius esse methodo aliqua absoluta, quam manca de gemmis agere. Itaque cum non dubitarem quin in classes non minus lapides, & gemmæ redigi, quam animalia, Herbæ, ac alia quævis possent: Tandem differentias quibus lapides, vel gemmæ à sese multo differunt diligenter observavi, (ut ex capitibus nonnullis huius libri notari potest) ac ex iis duabus tabellis lapides in genera, & species dividi posse ostendo: secundum quas tabellas optime, ac methodice de lapidibus, & gemmis opus hoc conscribi potuisset. Verū quia prius à me non sine magno labore, ac molestia perscriptū, Typographoq; paratum erat, Intempestivum fuit ordinē iam observatum mutare, ac iterata scriptione me novis molestiis, & tædiis deficiente otio, ac prohibentibus curis afficere. Quod ad gemmas attinet, quæ à veteribus descriptæ hoc tempore ignotæ, aut à recentioribus confictæ, & nunquam visæ, aut dubiæ sunt: quia in ordinē redigi, ut omnia incerta non potuerunt, secundum alphabeti ordinē à me sub finem operis annexuntur. Itaque hæc quæcunque à me præstata sunt boni consule Lector, ac grato animo suscipe. Id si feceris, ad maiora edenda calcar addes. Vale.

CATA-